

II. Describitur autem communiter *Interdictum*, ut est specialis & distincta species censure: „Censura Ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum divinarum, ut Fidelibus communem, quatenus talis est.

III. Excommunicationem hic excludi dicunt, quia etsi hæc prohibeat quoque rerum quarundam divinarum usum, non tamen quatenus est usus, sed prout est quedam communicatio cum Fidelibus.

IV. A suspensione autem distingui notant, quia hæc privat quidem spiritualium rerum usum; sed non ut *communis Fidelibus*, sed solum *Clericis proprio*; uti capite sequenti notabitur.

V. Dicitur autem in definitione *ALIQUARUM rerum divinarum*; quia Interdictum non privat *omnibus* rebus divinis; sed illis dumtaxat, quæ in Jure expressæ sunt, & modo etiam in Jure etiam declarato, uti ex dicendis patebit.

VI. Hæc interim satis probant, hanc descriptionem desumptam & circumscriptam esse conformiter ad ea quæ à Receptoribus Canonistis & Theologis Scholasticis circa hanc speciem censure recepta reperiebantur. Nec enim in pristinis Canonibus & Auctoribus has præcisas & determinatas differentias censuram facile reperies.

VII. Interdictum autem jam descriptum dividitur in locale, & personale & mixtum.

Locale dicitur, quod directe fertur ad locum, ne in eo exercentur divina, secundum modum à Jure definitum.

In descriptione dictum est *directe* ferri ad locum: quia *indirecte* etiam refertur ad homines; quatenus in eo loco divinis interesse nequeunt: Sed tamen quia *directe* solum locum respicit, non personas; ideo personæ possunt alio loco divinis assistere, Sacramenta accipere, atque in locis sacris alibi sepeliri: ideoque nec personæ interdictæ dicuntur.

VIII. Interdictum personale vocatur, quod dirigitur immediate & directe ad personam, eique interdicit certum quendam rerum divinarum usum: differtque à locale, quod non terminetur ad certum locum. Nam si persona simpliciter sit interdicta, nec alibi divinis interesse potest, ipsumque interdictum vulgò dicitur *ambulare* cum persona, & esse *ambulatorium*; nullus autem locus propterea *interdictus* est suppositus, possuntque alii non interdicti in loco divinis interesse.

IX. Mixtum appellatur, collectum ex utroque; id est, quod & directe in locum & in personam fertur; atque tam personæ quam locus interdictus *æque directe* subjacent.

X. Interdictum tam locale, quam personale ulterius dividitur in universale & singulare.

Locale universale five generale solet vocari illud, quo interdictio subjicitur locus plura alia loca sub se continens & suis limitibus comprehendens: ut sunt Regnum, Provincia, Civitas, Diocesis &c.

XI. Hujus interdicti mentio occurrit in *Cap. 10. & 17. De Sentent. Excommunicat. in VI.* declaratque in posteriore Bonifacius VIII. quod si „civitas, castrum, aut villa Ecclesiastica, eo subjiciantur interdictio, illorum suburbia, & continentia, & ædificia eo ipso intelligi interdicta. „Rationem subjungit: „Nam licet prædicta videantur alias murorum ambitu terminari, hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret si posset in ipsorum suburbis, vel continentibus ædificiis licite celebrari, ut prius) expedit interpretationem fieri latiore.

XII. Interdictum particulare est, quo solummodo interdictio subjicitur locus aliquis particularis; puta unica Ecclesia: uti sit insinuatur in citato *Cap. 17.* declaratque ibidem Bonifacius VIII. quod ratio quæ suadet, civitate interdicta, censei quoque interdicta suburbia, etiam suadeat, ut, si sit Ecclesia, interdictio supposita vel subjecta: nec in Capella ejus celebrari, nec in cæmeterio ipsius eidem Ecclesie contiguus poterit sepeliri: scilicet si ei congrua non existant.

XIII. Personale interdictum generale dicitur, quo aliqua communitas, ac proinde plures homines complectens, interdicitur: ut si incolæ certæ civitatis, si quoddam Capitulum, si Collegium, si Monasterium &c. accipiendo nimirum Collegium & Monasterium pro solis personis, ita ut non interdicitur

locus. Requiritur etiam ut homines illi plures interdiciantur sub nomine ipsius communitatis.

XIV. Hujus interdicti mentio fit in *Cap. 16. De Sent. Excommunicat. in VI.* declaratque: „Si sententia interdicti proferatur in Clerum non intelligi (nisi aliud sit expressum in ea) inter dictus populus; nec etiam de convulsio. Unde uno interdictio ipsorum, alius licite admittitur ad Divina.

XV. Si aliqui etiam plures interdiciantur expressis nominibus propriis, & non quatenus constituunt communitatem aut collegium, dicitur Interdictum *particulare*; quia omnes subjiciuntur interdictio ut *particulares*.

XVI. Interdicti generalis, quo Provincia, civitas, aut communitas quadam interdictio subjicitur; & quod hodie confuevit nomine *interdicti* intelligi, meminisse S. Basilium *epistola 244.* credunt nonnulli; ubi interrogatus, quid agendum de illo, qui filiam alicujus rapuerat, resolvit, filiam Parenibus suis restitui, ipsum Raptorem ejusque complices excommunicari debere, *Villa verò (ait) quæ Raptorem susceperit cum Raptra, nec reddiderit, prorsus suspensa sit à precibus & orationum communione.*

Verum ex contextu patet, Basilium hic non loqui de *villa* prout locum aut domum quamdam significat; sed de familia quæ Raptorem cum Raptra susceperat; hancque non *interdictio* proprie dicto subjicit, sed in *pœnitentiam* à communionem excludendam censuit.

XVII. Similiter quæ sub nomine S. Augustini ex *Epistola ad Bonifacium* refert Grauanus *Caus. 17. q. 4. Can. 8.* tamen essent vera S. Augustini, hujus censure antiquitatem minime probarent: cum evidens sit, non nisi de negata communionem in pœnitentiam ibidem agi.

XVIII. Propius ad hanc censuram spectare videtur exemplum relatum à S. Gregorio Turonensi *lib. 8. Hist. Francorum cap. 31.* Cum enim S. Prætextatus Episcopus Rothomagensis in Ecclesia ipso die Paschæ Divina Officia peragens fuisset trucidatus, „Leodovaldus Episcopus Epistolam per omnes Sacerdotes direxit, & accepto consilio *Ecclesias, Rothomagenses clausit*, ut in his populus *solemnia Divina non spectaret*, donec indagatio communi reperiretur hujus auctor sceleris.

Nequaquam negari posse videtur, quin hic aliquam Interdicti speciem habeamus; adeo que facile crediderim, circa sæculum sextum ob enormia crimina cæpisse aliquando civitatis aut Diocesis Ecclesias Interdictio subjici.

XIX. Sed cum admodum rara & extraordinaria essent hæc exempla; nec per omnia conformia illis, quæ jura posteriora de hac censura *Interdicti* edicunt putant non pauci Viri eruditi, originem ejus referendam potius esse ad sæculum decimum aut undecimum; creduntque, Interdictum præsertim generale, præcipue cæpisse frequentari, quando Principes particulares, qui sub Carolo Magno ejusque Successoribus dumtaxat fuerant Provinciarum Gubernatores, se in earum Dominos absolutos erexerunt.

Ut enim horum contumaciam frangerent Episcopi, generali Provinciarum aut civitatum, interdictio uti cæperunt; ut populus tædio affectus, etiam ipsum Principem, ad obedientiam quodammodo adigeret.

XX. Quidquid sit, certum est, quod nulla illustrior forma, atque ipsam Interdicti hodiernam formam & rationem propius exprimens, occurrat quam in Synodo Lemovicensi anno 1051, celebrata. In hac enim Odericus Abbas suggerens Episcopis medicinam adversus generalem morbum, qui contumacia Principum & Magistratum secularium adseribebatur, adhibendam, ait: „Nisi de pace acquieverint ligate *omnem terram*, Lemovicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo, ut nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu, & infra in toto Lemovicinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur, sed Baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in Eccles. omnibus & omnes prout in faciem preces pro tribulatione & pace fundant Pœnitentia & via.

& viaticum in exitu mortis, tribuatur: altaria per omnes Ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur, & cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiae omnibus est. Ad Missas tamen, quas unusquisque Sacerdotum januis Ecclesiarum obsecratis fecerit, altaria induantur, & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat: nemo alteri osculum det: nemo clericorum, aut laicorum, vel habitantium, vel transeuntium, in toto Lemovicinio carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in Quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur quousque adstricti Principes, & capitula populorum per omnia sancto obediant Concilio. Si quis verò probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia.

Placuit Odorici consilium Patribus istius Synodi. XXI. Hoc consilium ad praxim deductum fuisse ab Episcopo Lemovicensi judicat Ademarus Engolismensis scribens circa idem tempus: „Alduinus Episcopus Lemovicensis pro nequitia populi *novam* observantiam constituit, scilicet Ecclesias & Monasteria cessare à Divino cultu, à Sacrosancto Sacrificio, & populum quasi Paganum à divinis laudibus cessare, & hanc observantiam excommunicationem censebat.

An antiquius hujusmodi interdicti exemplum extet, nescio, interim hoc evincit Auctoris hujus testimonium, observantiam tunc adhuc fuisse *novam*. Unde & eodem sæculo Ivo Carnotensis *Epist. 94.* vocat interdictum, *remedium INSOLITUM*; ob suam nimirum novitatem.

XXII. Hoc quoque indubitatum est, labentibus sæculis usum interdictorum præsertim *generalium* mirum in modum fuisse extensum; eoque Pontifices & Episcopi frequentissime usos esse ut Principes & Magistratus, qui particulares excommunicationes in suas personas latas contemnebant, ad obedientiam & restitutionem adigerent: atque ipsis excommunicationibus vim & efficaciam adderent.

XXIII. Sed cum hæc interdicta plerumque indicerentur ob crimen à solo Principe, aut Magistratu commissum; ipseque nihilominus populus sapius planè innocens eodem interdictio involveretur, & Ecclesiasticis Sacramentis, & Divinis Officiis & instructionibus salutaribus privaretur; idque cum summo salutis discrimine, idcirco diversi Pontifices diversa temperamenta his interdictis adhibuere.

XXIV. Sæculo 12. ad Episcopos per Angliam constitutos scribit Alexander III. in *Cap. 11. De Sponsalib.* ut si Rex Angliæ ad eorum communionem non restituit uxores filii sui intra certum terminum, „ex tunc in quacumque (ait) Provinciarum vestrarum detinentur vel transferuntur (uxores filiorum Regis) donec ibi fuerint, *nulla Divina Officia* celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari. præter *Baptismum parvulorum, & pœnitentias mortuorum*.

XXV. Ulterius Innocentius III. in *Cap. 43. De Sentent. Excom.* permittit tempore interdicti populo prædicari Verbum Dei; & parvulis dari Sacramentum *Confirmationis*. Et in *Cap. 11. De Pœnis. & remiss.* indulget ut tempore interdicti Clerici decedentes, qui tamen servaverint Interdictum, in cæmeterio Ecclesie sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio tumulentur.

XXVI. Insuper „& in Conventualibus Ecclesiis bini & bini, vel simul tres Horas Canonicas valeant legere, non cantare, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita remissa quod exterius audiri non possit. Denique indulget, ut Cruce-signatis & peregrinis, etiam bene valentibus *detur pœnitentia, cum postulaverint*.

XXVII. Post hæc Gregorius IX. in *Cap. 57. De Sent. Excom.* „permittit Ecclesiarum Ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, Missam solemnem celebrare causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

XXVIII. Demum Bonifacius VIII. in *Cap. ALMAMATER, De Sent. Excom. in 6.* in multis rigorem interdicti relaxavit: atque imprimis, ut „non tantum morientes, sed etiam viventes tam sani, quam infirmi ad pœnitentiam licite admittantur. Præterea quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia Divina Officia sicut prius, submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. In festivitibus verò natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsantur, & januis apertis, altæ voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admittis: quibus ob reverentiam dictarum solemnitarum, (et ut ipsi ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus divinarum: sicut tamen quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent.

XXIX. Rationem hujus relaxationis & mitigationis præfatis diebus participationem permittimus divinarum: sicut tamen quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent.

Eandem rationem tangit idem Pontifex in *Extravagante 2. De Sentent. Excom.* his verbis: „Tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia, præsertim per oblationem frequentem hostiæ salutariæ, adolescentes & parvuli participant rarius Sacramenta minus inflammantur, & fideliantur in fide, fidelium tepescit devotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum.

XXX. Testatur quoque ibidem Pontifex, quod „nonnulli judices *nimis promptè* ad proferendas sententias interdicti etiam in negotiis sive causis, quæ interdum *plus ex cupiditate*, quam charitatis radice perpicuis iudiciis procedere arguerentur.

XXXI. Ut his inordinatis interdictis modum ponat, cavet, „ut nulla Provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium, vel districtus auctoritate ordinaria, vel delegata supponatur Ecclesiastico interdictio pro pecuniario debito, vel pro cuiusvis monete, vel pecunie quantitate quacumque occasione vel causa, seu quovis quæsito colore: pro eo maxime quod ipsorum Domini, Rectores seu officiales, quocumque nomine censeantur, aut incolæ seu habitatores, aut singulares persone ipsorum statutis, vel statuendis, ordinatis vel ordinandis terminis hujusmodi debitum seu quantitatem non solverunt hætenus aut in antea non persolverunt.

XXXII. In Concordatis quoque inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit. 8.* cautum est: „Propter scandalum vitanda, ut honor Dei, & jura serventur, de cætero interdictum, ut cessus à Divinis nullatenus poni poterunt, pro quocumque delicto alicujus singularis personæ, sed solum pro delicto Domini loci Rectorum, seu eorum Officialium vel communitatis delinquentis, communicato consilio offendentis realiter & de facto Clericos in sacris Ordinibus constitutos, aut beneficiatos, si verò beneficiis actu deservientes, quo casu, si Dominus Rector vel Communitas delictum infra mensem emendare recusaverint, vel quando singularis persona præmissa perpetravit, & dictus Dominus Rector, vel Officialis talem singularem malefactorem, infra dies octo, si præsens fuerit, non apprehenderit, vel absentem, infra mensem non bannerit, aut apprehensum ad satisfaciendum infra dies octo non compulerit, sed Communitas præmissa, sic fieri non procuraverit, tunc nisi de diligentia præmissos super præmissis facta, constiterit, cessus, vel Interdictum poni poterit, alias non, reservata Judici Ecclesiastico, & Sæculari (ut præmissum est) correctione offendentium realiter personas Ecclesiasticas, vel eis realiter injuriantes.

XXXIII. Similis penè limitatio jam pridem facta est in

Concilio Baſileenſi ſeſſ. 20. inſertaque Pragmatica Sanctio- ni. & Concordatis Galliarum ſub titulo *De Interdictis non le- viter ponendis.*

XXXIV. Merito monet ad illum textum Gloſſogra- phus Pragmatica Sanctionis, “ non ſine magna cauſa & maturitate gravi eſſe procedendum ad Interdictum ge- nerale, ne facile inſinici inculpabiles propter delictum paucorum à Sacramentis interdicti cenſeantur.

Addit deinde: Diſcretio ſuadet, ut primò delinquentes ſpecialiter & nominatim interdiciantur & non alii. Ut ab initio delinquentes generaliter non interdiciantur quoad omnes effectus Interdicti ſed quoad quosdam: ſcilicet primò interdiciantur culpabilibus Corpus Chriſti, & ſepultura in cœmeterio, & ſic paulatim procedendo de ef- fetu in effectum. Et demùm cum in profundum malorum laborentur, propter eorum culpam Interdictum generale proferendum, ut omnes inculpabiles contra delinquentes inſurgant.

XXXV. Sanè ſi in ferenda excommunicatione in unam & ſingularem perſonam, gravi cauſa, magna que prudentia & circumſpectio requiratur, ut in antecedentibus oſtendi- mus, quàm magis in ferendo interdicto præſertim gene- rali, quo plures innocentes ſolent involvi, crimen enorme neceſſarium; ſummâque circumſpectione procedendum eſt.

XXXVI. Hoc autem indubitatum eſt, eò majorem & gravioſam cauſam requiri; majoremque neceſſitatem & circumſpectionem, quò interdictum eſt generalius; & ad plura loca & perſonas ſe extendit.

XXXVII. Qui ſunt effectus Interdicti; & à quibus tem- pore interdicti ſit abſtinendum, facile colligi poteſt ex De- cretalibus ſupra relatis: ceſſandum enim eſt ab omnibus ſacris functionibus ſub modo & forma ibidem expreſſis.

XXXVIII. “Is verò, qui ſcienter in loco celebrat ſu- perſito *interdicto* (niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut à jure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit: à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari, & adeò efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debeat admitti.” C. 18. §. 1. De ſent. excom. in VI.

Notant autem Doctores, quod eſt hic tantum fiat men- tio *celebrationis*; ea que ſoleat reſtringi ad *celebrationem Miſſæ*, hic tamen comprehendere omnem Divinorum cele- brationem; etiam Sacramentorum adminiſtrationem; ni- mirum juxta limitationes ſupra ex Decretalibus relatas.

XXXIX. Interdictum à ſimplici ceſſatione à divinis eſſe diſtinctum; nec hanc eſſe propriè *cenſuram* Eccleſiaſticam communiter obſervant interpretes; & ſat evidenter exprimitur in Cap. 18. De ſent. excom. in VI. dum dicitur, quod “is, qui in Eccleſia ſanguinis effuſione polluta, vel qui præ- ſentibus majore excommunicatione nodatis, ſcienter *ce- lebrare* præſumit: licet in hoc temerariè agat, *irregula- ris* tamen (cum id in jure expreſſum non ſit) *laqueum non incurrit*”; quem tamen incurret, ſi ceſſatio à Divinis cum *Interdicto* ut eſt cenſura coincideret: quia indubi- tatum eſt, huiusmodi ceſſationi à Divinis ſuſpoſitam eſſe Eccleſiam ſanguinis effuſione pollutam; neque in ea ante reconciliationem Divina officia, præſertim Miſſarum ſo- lemnia celebrari poſſe, ut oſtendimus *part. 2. tit. 16. cap. 4.*

XL. Cumque ceſſatio à Divinis à jure ob crimen in Ec- cleſia commiſſum, ad terrorem populi inſtigatur; atque tantum in Eccleſiâ ſpeciali crimine polluta à Divinis ceſſetur ob delictum publicum, non ſolet hæc ceſſatio à Divinis ſecum trahere magna incommoda; nata que eſt populo ſalutarem terrorem & criminis horrorem incurere: unde merito hæc à Divinis officiis ceſſatio ſervatur; atque ſæpius expediret, ut Eccleſiæ reconciliatio ad aliquod notabile tem- pus differetur, præſertim ſi de crimine enormi agatur; & alia non deſint Eccleſiæ in quibus Divina officia peragantur.

CAPUT X. De ſuſpenſione.

1. *ſuſpenſio hodie diſtincta ſpecies cenſura.*
2. *Ejus deſignatio.*
3. *Deſumpta ex iis que de hac cenſura tradunt recentiores.*
4. *Quomodo ab excommunicatione diſtinguatur?*

5. *ſuſpenſio eſt cenſura propria Clericis.*
6. *ſuſpenſio alia eſt ab officio, alia à Beneficio.*
7. *Prior importat ſuſpenſionem ab Ordine & juriſdictione.*
8. *ſuſpenſio ab Officio non privatis que ſunt communia laicis.*
9. *ſuſpenſio poteſt eſſe partialis ad eas que ſunt Ordinis, vel que juriſdictionis, aut aliquam eorum.*
10. *Etiã limitari poteſt ad locum.*
11. *ſimpliciter expreſſa non reſtringitur ad tempus.*
12. *Poteſt tamen reſtringi.*
13. *Hæc expirat per lapſum temporis.*
14. *Quid ſuſpenſio à Beneficio, & quomodo reſtringi queat?*
15. *Multis ſæculis ignota fuit diſtinctio ſuſpenſionis à Beneficio & ab Ordine.*
16. *An hodie ſuſpenſio ab officio importet ſuſpenſionem à Bene- ficio?*
17. *ſuſpenſio debet feri in ſcriptis cauſa expreſſa.*
18. *Debet dari copia ſuſpenſio, ſi petat.*
19. *Hæc non requiruntur in ſuſpenſione late ſententiæ, & hæc quid ſit?*
20. *ſuſpenſio non privat Clericum ſuo Beneficio aut Officio.*
21. *Qua ratione ſuſpenſio cenſetur non perpetua?*
22. *Quomodo diſtinguatur à depoſitione.*
23. *Clericus ſuſpenſus ab Ordine ſit irregularis, ſi exerceat ea, quæ Ordinis illius ſunt.*
24. *Idque de jure etiam in Clericis Minorum Ordinum obſervari videtur eſt.*
25. *Secus attendendo multarum Eccleſiarum conſuetudinem.*

Inter ſpecies cenſuræ hodie numeratur *ſuſ- penſio*; juxta Reſponſum Innocentii III. in Cap. 20. De V. S. & ibi notant uno con- ſenſu Interpretes; eamque eſſe cenſuram di- ſtinctam ab Excommunicatione & Interdicto.

II. Definitur autem communiter *ſuſpenſio* prout eſt cenſura diſtincta reliquis cenſuris: “ Cenſura Eccleſiaſti- ca, qua Clericus ob culpam ſuam prohibetur ab Execu- tione poteſtatis Eccleſiaſticæ quam habet ratione officii, aut beneficii Eccleſiaſtici, vel in totum, vel pro parte, vel ad tempus: vel in perpetuum.

III. Non dubium, quin hæc definitio accommodata ſit iis, quæ à Canoniftis & Scholaſticis recentioribus commu- niter de hac cenſura traduntur. Licet enim in ſacris Cano- nibus frequenter mentio fiat de Interdictione aut ſuſpen- ſione Clericorum à ſuis functionibus pro meritis culpæ: ni- hil tamen de ſuſpenſione prout conſtituit præciſè ſpeciem cenſuræ, eamque à reliquis formaliter diſtinctam: occurrat ſimpliciter de hac ſuſpenſione tanquam pœnâ Clericis pro modo culpæ infligendâ agit.

IV. Dicunt autem communiter Doctores, hanc ſuſ- penſionis cenſuram diſtingui ab Excommunicatione: quia licet hæc etiam privet Excommunicationem exercitio & uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ, non privat tamen eum hoc exerci- tio, quatenus eſt uſus alicujus poteſtatis Eccleſiaſticæ con- venientis ratione officii vel beneficii, uti privat ſuſpenſio: ſed tantum privat illo exercitio ſive uſu ut habet rationem *communicationis* cum Fidelibus.

V. Hinc & proſuit, quod excommunicatione ſit cenſura communis laicis & Clericis; ſuſpenſio autem propria ſit ſolis Clericis, qui capaces ſunt poteſtatis Eccleſiaſticæ, à cujus con- ſequenter uſu & functione prohiberi ſive ſuſpendi poſſunt.

VI. Ex allegata definitione facile colligitur, ſuſpenſio- nem imprimis dividi poſſe in eam quæ eſt ab officio, & eam que eſt à beneficio.

VII. ſuſpenſio ab officio ſimpliciter expreſſa importat ſuſpenſionem ab executione Ordinis & juriſdictionis: quemadmodum tradunt Interpretes ad Cap. 1. De ſent. & re jud. in VI. ubi dicitur; quod ſi ſuſpenſus ab Officio dan- nabiliter ſe Divinis ingeſſerit, irregularitatem incurrat: adeoque ſuſponitur ſuſpenſum ab officio nullis ſe poſſe Di- vinis ingerere.

VIII. Per ſuſpenſionem ab Officio ſuſpenditur Clericus ab omni officio Eccleſiaſtico, ſive illud ab Ordine, ſive à juriſdictione dependeat; modo verè ſit officium Eccleſiaſti- cum: nam iis que laicis æquè ac Clericis communia ſunt, hæc cenſura non privat. Unde per ſuſpenſionem nullus privatur paſſivâ Sacramentorum participatione; neque in- greſſu Eccleſiæ, aut communibus Eccleſiæ ſuffragiis, vel Eccleſiaſtica ſepultura aliisque ſimilibus, quæ nec ab Or- dine, nec juriſdictione Eccleſiaſtica dependent.

IX. Li-

IX. Licet autem hæc ſuſpenſio ſimpliciter expreſſa ſuſ- pendat ab omnibus, quæ ordinis & juriſdictionis ſunt, nihilominus ſubinde vel tacite vel expreſſe poteſt limitari vel ad ea que Ordinis, vel ad ea que juriſdictionis ſunt; quin imo ad certum aliquem & determinatum actum vel Ordinis, vel juriſdictionis; quæ vocari ſolent ſuſpenſiones *par- tiales*, neque ſuſpenſio limitata ultra expreſſos limites eſt extendenda: quales partiales ſuſpenſiones in Jure expreſſas plures recitat Gloſſa ad Clem. 3. De Pœnis.

X. Poteſt quoque ſuſpenſio reſtringi ad certum locum; ut nimirum tantum ſuſpendatur ab Ordinis vel juriſdictionis executione in certo loco; quo caſu liberè in aliis locis officio ſuo fungi poterit.

XI. ſuſpenſio ſimpliciter lata, ſicuti ad nullum certum Ordinis vel juriſdictionis actum reſtringitur; ita quoque ad nullum determinatum tempus limitatur; ſed cenſetur eſſe perpetua; ſaltem *negativè*, id eſt, quod nullum certum terminum durationis aſſignatum habeat, duratura quouſque ab habente poteſtatem tollatur; qui incertis terminis tacite ſemper includitur; atque in hoc ſuſpenſio differt à depo- ſitione, quæ *poſitivam* quandam perpetuitatem durationis includit.

XII. Quin tamen ſuſpenſio poſſit ad certum & determi- natum tempus non ſecus atque ad certum actum, reſtringi, indubitatum eſt, multaque hujusmodi ſuſpenſiones nota- vit Gloſſographus ad citatam Clem. 3. verbo *ſuſpenſio*.

XIII. ſuſpenſio autem ita ad tempus limitata, ultra tempus non durat; ſed lapſo tempore expirat, etiam ſine Judicis abſolutione, quemadmodum docent communiter Doctores poſt Gloſſam in Cap. 48. De ſent. excom. & ad Clem. 1. De Decimis; ubi & notat Gloſſa, verbo *Donec*, quod ſi ſuſpenſio lata ſit cum clauſula: *Donec ſatis fecerit*, ſufficiat Judicis declaratio ſuper ſatisfactione *ſine alia abſolutione*.

XIV. ſuſpenſio à beneficio dicitur, quæ Clericus à per- ceptione fructuum beneficii aut aliis à beneficio depen- dentibus ſuſpenditur.

Sicuti autem ſuſpenſio ab officio poteſt eſſe partialis & limitata tam quoad actum quam quoad tempus; ita & hæc limitari poteſt ad quandam partem fructuum, aut ad cer- tum tempus.

XV. Non dubium, quin multis ſæculis ignota fuerit di- ſtincta ſuſpenſio à beneficio, quodque ſuſpenſio ab Ordine ſecum traheret ſuſpenſionem à perceptione fructuum quæ ab Ordine ſive illius exercitio dependebat, nullis adhuc ſpecialibus beneficiorum titulis erectis, uti *parte 2. tit. 18. cap. 1. oſtendimus.*

XVI. Hodie verò controvertitur inter Doctores, num ſuſpenſio ab officio ſecum trahat ſuſpenſionem à beneficio: quemadmodum videri poteſt apud Suarezium *de Cenſuris diſp. 26. ſect. 3.* atque ob hoc dubium ſolent Judices volentes ab utroque ſuſpendere, dicere, *ab officio & beneficio*.

XVII. Ut autem certius conſtet de ſuſpenſionis natura, & quouſque hæc ſe extendat, debet Judex eam *in ſcriptis* proferre, & cauſam expreſſe conſcribere propter quam ſuſ- penſio proferatur; quemadmodum in terminis ſtatuitur in Cap. 1. De ſent. excom. in 6.

XVIII. Additur inſuper: Exemplum verò hujusmodi ſcripturæ teneatur (Judex) ſuſpenſio tradere intra menſem ſi fuerit requiſitus, ſuper qua requiſitione fieri vult publi- cum inſtrumentum vel litteras testimoniales confici, ſigil- lo authentico conſignatas.

XIX. Et hæc quidem ubi agit de ſuſpenſione à JUDGE proferenda. Secus autem de ſuſpenſione *late ſententiæ*, quæ nimirum à Lege ſeu Canone inſtigatur; puta, qua Ordi- nans alienum Diœceſanum ſine licentia ſui Ordinarii à col- latione Ordinum per annum, & Ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, eſt ſuſpenſus ex Decreto Concilii Trid. *ſeſſ. 23. cap. 8. De Reformat. Et cap. 10.* declarantur ab officio & benefi- cio per annum ipſo jure ſuſpenſi, concedentes dimiſſorias contra formam Decreti dicto capite expreſſi.

In his enim & ſimilibus ſuſpenſionibus à jure inflictis requiritur Legum ipſarum à quibus dependent, legitima

promulgatio; quemadmodum ſupra de Excommunicationibus *late ſententiæ* notatum fuit.

XX. Cujuſcumque naturæ aut extensionis ſit ſuſpenſio, certum eſt, quod tantum ipſum Clericum ab officio vel be- neficio *ſuſpendat*; id eſt, impediatur, quò minus ſuo officio liberè fungatur, functione ſive ei annexas exerceat, aur emolumenta percipiat; nequaquam autem ipſum privet officio aut beneficio.

XXI. Hinc ipſa ſuſpenſio quamvis ad nullum certum durationis terminum limitata ſit, nihilominus ex ſe denotat quandam remiſſibilitatem, & ſpem reſtitutionis; eò quòd officium & beneficium Clerico ſuſpenſo integrum relinquit.

XXII. Ex his quoque manifeſta eſt differentia inter ſimplicem ſuſpenſionem & depoſitionem. Hæc enim non tantum ab executione officii & beneficii ſuſpendit Cleri- cum, ſed abſolute deponit, atque officio & beneficio ab- ſolute privat, titulumque aufert; in tantum, ut ſine nova collatione & titulo ad officium vel beneficium redire ne- queat.

Verum quidem eſt, nec per depoſitionem ab Ordine tolli characterem Ordinis, atque depoſitum ab Ordine Sacerdotii remanere reverè Sacerdotem; tamen depoſitio hæc etiam differt à ſuſpenſione: eò quòd ipſa depoſitio ſignificet pri- vationem perpetuam & irremiſſibilem uſus Ordinum, non ita autem ſuſpenſio; uti notant communiter Canoniſtæ & Theologi Scholaſtici: quamvis fateantur depoſitionem ab Ordine ſubinde vocari ſuſpenſionem *perpetuam*.

XXIII. Tameſi Clericus ab Ordine ſuſpenſus non pri- vetur abſolute ſuo Ordine, neque uſu ſui Ordinis, nihilominus ſi durante ſuſpenſione exerceat functiones ſui Ordinis, à quo ſuſpenſus eſt, ſit irregularis.

XXIV. Hoc & procedere in Clericis minoribus dun- taxat Ordinibus initiatis, late probat Fagnanus ad Cap. 81. *QUIS PRESBYTER* De Clerico excom. *miſiſtrante*: modo tamen exerceant aliquid deputatum certo Ordini; & inſuper illud agant *tanquam Clerici* ſive Ordinibus inſigniti: ſecus ſi obeant illa tanquam alii laici ſine reſpectu ad Ordines: quemadmodum ſolent paſſim etiam per laicos obiri ministeria Ordinum minorum; quamvis ſecus fieri opter Synodus Tridentina.

XXV. Quia equidem paſſim conſuetudo habet, ut func- tiones minorum Ordinum obeant etiam laici, plures tam Theologi quàm Canoniſtæ ſuſtinent, quod ſtante hæc con- ſuetudine Clericus in minoribus conſtitutus & *ſuſpenſus* non fiat *irregularis*, quantumvis obeat functiones mino- rum Ordinum; ſed quæ ex conſuetudine ſuæ Eccleſiæ in- differenter exercentur à laicis & Clericis. Quæ ſanè opi- nio, ſtante hæc conſuetudine, neſcio an omnino rejicienda ſit. Auctores hujus opinionis citatos, vide apud Fagnanum loco citato *nu. 6.*

CAPUT XI. De Abſolutione à Cenſuris.

1. *Cenſura tollenda ab eo qui eam tulit.*
2. *Vel ab illo qui ipſum repræſentat.*
3. *Olim ab Epifcopo cenſuram tollere recuſante recurſi debebat ad Synodum Provincialeſem.*
4. *Diſciplina hæc expreſſa Canone Concilii Nicæni.*
5. *Cenſura ab Epifcopo inflicta vim ſuam retinebat quouſque per Synodum judicatum erat, eam tollendam.*
6. *A judicio Synodi ulterius non appellabatur.*
7. *Reſertur Canon Africanus inſubens appellationes Ultra marinas.*
8. *Quomodo hunc Canonem interpolaverit Gratianus.*
9. *Tempore Gratiani receptæ erant appellationes ad Metropolitanos, & ab his ulterius ad Sedem Apoſtolicam.*
10. *Ad quem à recuſante Epifcopo recurrendum pro obtinenda ab- ſolutione à cenſura lata ab homine.*
11. *Cenſura lata ſententiæ ordinarie tolli poteſt per proprium Epifcopum, aut proprium Sacerdotem.*
12. *Quis nomine proprii Epifcopi intelligatur.*
13. *Per proprium Sacerdotem intelligitur quilibet Presbyter ha- bens auctoritatem abſolvendi à mortalibus Sacramentaliter.*
14. *Abſolutio à cenſuris à Confefſariis, quæ præmitti abſolutioni Sa- cramentali eſt dicitur ad eandem.*